

A D  
A N T O N I V M  
M A G L I A B E C V M  
F L O R E N T I N V M V. C.

In notas Ioannis Garnerij ad inscriptiones Epistolarum  
Synodaliū XC. & XCII. inter  
Augustinianas

C E N S V R A

F. H E N R I C I D E N O R I S  
V E R O N E N S I S  
A V G V S T I N I A N I

S E R E N I S S I M I M A G N I E T R V R I Æ

D V C I S

*Theologi & in Pisana Academia Historiæ Ecclesiasticæ professoris.*



P A T A V I I,

---

Typis Petri Mariæ Frambotti Bibliopolæ. 1674.

*SUPERIORVM PERMISSV.*

# ANTONIO MAGLIABECO FLORENTINO

F. HENRICVS DE NORIS VERONENSIS  
AVGVSTINIANVS S. P. D.



Um Pisas pergere destinassem, & iam schedas ac literarium instrumentum collegissem; institutum repente iter, Vir Clarissime, remoraris, simulque longissimam peregrinationem iniungis, iubens ut in Africam ocysimè trasmitram, ibique plurimarum urbium, quas tempus edax, ac barbarorum olim furor euertit, ruderibus eruendis insudem. Scribis enim te nuper Lugduno Marij Mercatoris libellos amplissimis notis à Ioanne Garnerio illustratos accepisse, ac gratulari te felici Mercatoris sorti, qui cum per duodecim secula latuisset, hoc anno orbi literario primùm innotuit, eiusdem libellis Parisijs, Bruxellis, & partim etiam Patauij vnà simul in lucem emissis. Vides-ne seram posteritatem doctissimorum virorum curam gerere, quos nec longa ætas vnquam obruit, sed è bibliothecarum angulis in manus atque ora hominum postliminio licèt erumpunt? Addis legisse te in eiusdem Garnerij opere notas, quas *dissertatione II. de Synodis in causa Pelagianorum habitis* viuente S. Augustino à pag. 176. in vtramque epigraphen literarum Synodi Carthaginensis, & Milenitanæ anno 416. contra Pelagianos celebratarum, exarauit. Vbi quæ me assequi nullatenus posse dudum tibi per literas significaueram, non modò idem scriptor tentauit, sed etiam, ut sibi persuasit, planè confecit. Etenim cum Synodicæ literæ ad S. Innocentium Pontificem in epigraphe nomina tantùm Episcoporum, non verò etiam eorundem sedes præferant, ut ex Epistolis 90. & 92. inter Augustinianas patet, Garnerium, inquis, animum non despondisse, sed ex collatione Carthaginensi ante quinquennium, nempe anno 411. coacta, omnium ferè illorum Præsulum vrbes, quarum sacris id temporis præerant, designasse. Fateor, Vir Doctissime, in eam me pariter cogitationem, ut probè Noris, olim abijsse, atque eidem operi acriter styllum intendisse, cum Pelagianam Historiam concinnarem. Verùm licèt plurimorum Episcoporum sedes ex laudata collatione deducerem, cum longè plurium vrbes ignotæ mihi prorsus euaderent, manum è tabula amoui, dum diuinare potius, quam quidpiam me veri scribere intelligerem. Quod verò meum quoque ea de re iudicium postulas, quamuis grauioribus curis distentus sum, ut nec inde machinis à quoquam euelli possim, animaduersiones in Garnerij notas calamo ad alia properante scriptitavi; neque enim iubenti tibi, cui plurimum debeo, refragari possum. Erit id novum meæ erga te obseruantia argumentum, quippe qui volens ea exequor, quæ alio imperante, non dicam inuitus, sed nulla planè ratione præstarem. Et ut magni voluminis in manus subinde recipiendi molestia eximaris, ipsa Garnerii verba præ-